



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 94. Iesus autem tæcebat. v. 63.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

us, Dominus omnium & sapientior cunctis iudicantibus se, sciebat, si negando respondisset testibus, Pontificem dicturum esse, quod Christus mentiretur, quod tacente Christo minime poterant. Si vero affirmando respondisset, speciem sacrilegij aduersarijs præbiturum eo quod voluisset destruere templum Salomonicum vel Herodianum tam magnis sumptibus extructum, & per consequens auferre sacrificia & orationes quæ Deo inibi offerebantur juxta præceptum legis Mosaicæ, si denique sensum Verborum suorum aperiret, appariturum quod se Deum esse testaretur, unde rursus calumnia esset texenda. Hinc cõsultius iudicauit Tacere prorsus, quam Respondere, & interrogando Christum dicit Caiphas, Nil respondes ad ea quæ isti aduersum te testificantur? quasi insultando, est ne hoc sanctitatis indicium, vel innocentia velle malitiose nocere communitati in destructione templi, & sic per consequens auferre honorem Deo debitum? quid ad hæc dicitis?

Quam fatue agebat hic Pontifex! dum suæ dignitatis Maiestatem vult stabilire, infirmat eam, surgendo & stando quem sedere decebat, & accusatoris incipit agere partes, oblitus se esse iudicem! ô quantum malum est ira! & quanto opere ea feruebat sæuum Pontificis peccus! quanto opere inuidia in illo rationem obcæcabat! iustitiam peruertebat, veritatem extinguebat, & decorum omne evertibat! quam cruenta illius sitis? virulenta eminus arripit machinamenta, fraudes molitur, falsos excitat testes, ut agnum innocuum & iustum neci traderet. Bene in Lege Moyfi, præfigurando hanc Christi innocentiam dictū fuit, *ut agnus paschalis esset sine macula, & ut aliquantum ante immolationem probaretur an in eo esset macula aliqua*, certe hic summus Sacerdos & socii eius satis luculenter probarunt agnum nostrum Paschalem, & eum sine omni macula inuenisse testantur.

Domine Iesu Agnus mansuetissime gaudeo de te, pudet me mei & meorum. Longe obsecro sit à me tanta malitia, inuidia, furor, ne intellectus meus obtusceretur; sed veram iustitiam agnoscere velim, nec magis nocere præ malitia velim proximo: sed è contra da gratiam ut in lenitate spiritus, mansuetudine & longanimitate interiore mētis, semper audiā & iudicem secundum rectam rationem; & quidem ex amote Compassionis, nec per-mitte ut velim malitiose quempiam inducere aut circumuenire verbis ad nocendum.

S. 94. Iesus autem tacebat. v. 63.

Licet piensissimus Iesus in varijs accusaretur, in quibus se potuisset optime defendere, dulcis tamen Dominus os suum non aperuit, sed cuncta

illa iniqua & impura mendacia, blasphemias & falsitates, quas in ipsum congeriebant ob honorem patris benigne patienterque tolerauit, nec se excusare voluit, quando quidem omnia mundi peccata in se acceperat, & quia cum iniquis crucifigi voluit, hinc etiam ut iniquus iudicari volebat, eo quod ex amore ingenti hominum salutem, & paternum potare calicem ardentissime sitiebat cum euidenter voluntatem patris sentiret, ad quem venire secundum humanitatem suam non poterat, nisi per passionis iter.

Domine Iesu cur taces? cum falso accusaris: cum provocaris, ut respondeas: Tui gratia, ô homo, ut meo discas exemplo tacere ad calumniantium & falsorum testium voces, quando irrita est defensio, vel ex defensionis verbo grauiora mala oborientur vel tuæ personæ vel ordini, vel Ecclesiæ. Item, non te excusare in manifestis malis, ut & pati discas, & humiliari, videns filium Dei innocentem tacere, non se excusare, humiliatum ob peccata tua, non erumpere in querelas, murmuraciones, in impatientiam, quasi nolens ferre crucem à Deo impositam.

Scindant verba hæc cor tuum, ô anima mea, statuasque magis in hoc sæculo cum Christo tacere benè, quam malè loqui: crucem quam tibi immitit, ut feras pro omni illa, quam ei peccatis tuis imposuisti, iniuria & contemptu; lubens volensque tolerare, ut veniam merearis erratis tuis.

§. 95. *Et princeps Sacerdotum ait illi: v. 63.*

Quanto Iesus magis tacebat ad indignos responsione sua, falsos dicentes, & Sacerdotes, impiosque iudices, tanto magis Pontifex furore superatus eum ad respondendum prouocat ut ex qualibet occasione sermonis locum inueniat accusandi, & hoc animo eundem incipit quasi hominum contemptorem per supremum saltem Dominum compellere, ad dicendum verum, adiurando. Prò sic mali sumus, qui creaturæ Rationales esse deberemus, ut siamus sæpe præ inuidia & ira irrationabiliores & tanto nequiores, quanto ratio ipsa plus adiumenti ad nequitiam præbere valet. Nam ecce summus Sacerdos, cum semel se affectibus suis permisit, etiam innocentem in tua humilitate & innocentia liberum & quietum esse nõ sinit, sed tentando, vexando, illudendo, blasphemando, adiurando cogit ad verba & facta, ex quibus capiat ansam ad eum accusandum, calumniandum, neci tradendum. Malum sane & pessimum malum velle proximum inducere ad peccatum eum diuexando, iniuriis, blasphemijs, maledictionibus, detractionibus: quæ insania? Arque utinam non sæpe huius sceleris cum Caipha rei sumus!

Domine